

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Parentes s (1)
cum fonte primo

Filios et parentes, si aduersi sunt,
alienata debemus uoluntate
contempnere. Sepe enim quos flamma
non terruit, quos ferrum non subdidit,
necessitudinum blandimenta flexerunt.

Cassiodorus super illud Psalmorum:
Iniquos odio habui.

Quando uero martyrii tempus occurrit,
iniquos suasores odio habere
praecipimur, cum et ipsos quoque
filios et parentes, si aduersi sunt,
alienata debemus uoluntate
contempnere. Saepe enim quos flamma
non terruit, quos ferrum non subdidit,
necessitudinum blandimenta flexerunt;
et ideo dictum est: *Si quis uenit ad me et*
non odit patrem suum et matrem suam et
uxorem et filios et fratres, et sorores,
adhuc etiam et animam suam, non potest
meus esse discipulus.

Aurelius Cassiodorus, *Expositio*
Psalmorum, 118, 113 (CCSL 98,
M.Adriaen ed., p.1108, ll.2025-2033).